









# VIRGILII

## PICTVRAE ANTIQVAE

*EX CODICIBVS VATICANIS*

---

ROMAE

*MDCCCXXXV*

# DE VIRGILII

## CODICIBUS DUOBUS PICTIS

### BIBLIOTHECAE VATICANAE.

Quum per eos annos, quibus bibliothecae vaticanae praefui, virgilianum codicem celeberrimum 3225, in quo sunt carminis fragmenta antiquissima cum picturis, saepe inspicerem, et has cum illis Petri Sanctis Bartoli iconibus compararem, quae primum anno 1677. sine carmine editae fuerunt, deinde anno 1741. cum ipsis carminis reliquiis repetitae; mirabar equidem bartoliani operis elegantiam summam, quae tantam huic codici famam conciliavit; simul tamen me miserebat antiquorum monumentorum, quae si in manus artificum arbitrarias ac liberas forte incidunt, suas haud raro formas ingratiis exuunt; et dum nova et exquisitiore arte expoliuntur aut variantur, nativam non dico venustatem, qua interdum carent, sed simplicitatem veritatemque amittunt. Atque id prorsus virgiliano codici a P. Sanctis Bartoli opera contigisse, demonstrandum esse videbam. Nam quod Agincurtus in sua nupera artium medii aevi historia, vaticanarum denuo Virgilii picturarum rationem habuit, id parum credo refert; quia primo congeriem minutarum icuncularum nobis exposuit in duplici tabula constipatarum, ex qua nullum certe paulo accuratius iudicium fieri potest; deinde iusto quidem, ut sunt in codice, modulo tredecim picturas primi codicis levidensi tamen ac lineari artificio, protulit, tres autem secundi ( de quo mox dicemus ); sed quotae demum hae sunt prae septem supra sexaginta, quas a me eruditis exhiberi posse sciebam? Neque vero ipsa Agincurti opera accurata ubique fidelisque fuit, quamquam is instituto suo nihil nisi veritatem meditari videbatur. Aliud denique fuit typographi Monaldini propositum, qui anno 1782. bartolianas icones, permultis aliis diversi generis, sed ad Virgilium utcumque spectantibus monumentis commixtas dedit, in quem numerum dolendum est quod etiam falsissimae quaedam musei kirkeriani picturae irrepserint. Quae quum ita se haberent, facile agnovi posse me post excellentium etiam virorum curas, vaticani Virgilii picturas, non veriores solum, verum etiam numeriosiores, atque una omnes serie connexas, ad communem antiquariorum artificumque usum proferre.

Sunt igitur in libro meo nobiliores ex vaticano codice 3225. picturae quinquaginta, quas in descriptionibus littera A denotavi; ex codice autem vat. 3867, picturae deteriores septemdecim, quas littera B distinxi. De prioribus quidem nonnihil fuit dictum a cl. Bottario in sua praefatione, et ab aliis quotquot pretiosi huius monumenti mentionem fecerunt. Est enim hoc sine dubio opificium quarti circiter post Christum natum saeculi; ante corruptas nimirum artes ac

litteras, vel certe ante immutatas morum, vestium, aliorumque instrumentorum vel usuum formas, quod demum sub barbarorum potentatu, vel sub graecis etiam Caesaribus evenisse comperimus. Iamvero quae nos circa homericas picturas de genuinis ac plurimis antiquitatis classicae signis copiose disputavimus, ea plerumque de virgilianis quoque tabellis dicta valent, ita ut iam verbis temperandum esse videatur. Etsi autem picturae illae septemdecim, quae in pulcherrimo fere omnium codice vat. 3867. apparent, quasque nos cum ceteris suo ordine commiscuimus, artis infimae sunt, nequaquam tamen barbarici aevi mores formasque exhibent. Itaque nullus adsentior Agincurto gallo, qui infimorum saeculorum, quorum opificia describebat, imaginibus occupatus, hisque plus aequo multiplicandis deditus, virgilianas secundi codicis graphides ad XII. vel XIII. saeculum incredibili furiosoque praecipitio deiecit, vel deiiciendas suspicatus est. Atqui nihil ab homine docto inscitius, nihil a perito imprudentius dici potuit. Etenim scriptura codicis tantae maiestatis est (uti specimen nostrum tertio loco positum demonstrat) ut infra quintum certe saeculum deprimi nequeat; picturae vero partim quidem intra ipsos versus hinc inde circumclusae iacent, ut plane coaetaneas esse scripto necesse sit; partim vero etsi casu in puris foliis sunt, attamen eâdem prorsus manu depictae fuerunt: quare nec hilum invicem variant aut discrepant. Fuit igitur codicis huius secundi calligraphus optimus, pictor pessimus; quales videlicet omnis aetas et tulit et latura est. Quid quòd ipse Bartolus, acuti procul dubio sensus homo, sex ex his iamdiu recepit in seriem suam? nempe 1. Tityrum cum Meliboeo. 2. tempestatem in mari. 3. Didonis convivium. 4. Sinonem cum equo ligneo. 5. Aeneae cum Didone nuptias in venatione. 6. Iridis ad Turnum missionem. Bottarius autem antiquitatis aeque sapiens iudex tres alias sibi ex eodem codice vindicavit, videlicet poëtae imaginem, et pastoralis cantus duplex certamen; quibus ego octo nunc primum addo. Non itaque hi magni viri indignum hunc codicem 3867. existimarunt, qui in pictorum monumentorum censum veniret, quique codicis 3225. multo meliores picturas comitaretur.

Sed enim aliquis postulabit ut praecipua saltem antiquitatis indicia in his quoque vaticani Virgilii picturis singillatim demonstremus. Protinus ecce in 1. tabula, capsa codicum est, qualis prorsus in pompeianis picturis cernitur: scabella item sub pedibus (exceptis tab. 54. 55.) in hac et aliis tabellis; nec non assuta vestibus ornamenta. In tab. 2. pileum phrygium gestat Tityrus, sub quo nomine latet Virgilii persona, cui hoc insigne competit ob aeneidem scriptam. In tab. 3. et seqq. nec non in tab. 55. pastoralis vestimenti certissima imago exhibetur, tunica nimirum brevis lumbis adstricta, dextro humero exerto. Quin et femina rustica vestitu brevi utitur tab. 9; brachiis tamen, non humero, exertis. Vulcano quoque brevis tunica in tab. 14. recte adtribuitur. Nona in tabula fluvii Tanacri totus habitus is plane est, quem Xanthi in homericis picturis vidimus. Pileum thracicum, qui idem est phrygius, vestemque aut chlamydem apollineam induit Orpheus in tab. 15. et 49. Iupiter seminudus atque sceptriger, Neptunus cum fuscina et delphino, stans Mercurius pinnato capite, Iuno cum sceptro diademate ac brachialibus, Venus palliata et quidem semel cum

pisce noto symbolo, Diana bicornis, Phoebus cum radio vel spiculo, alata Iris; quae omnia quis non videt ex antiquitatis more normaque scribi tab. 18. 21. 43. 56. 59. 66? Priami Hecubaeque capitibus nimbus regius vel divinus circumdatur tab. 23. Ceteroquin phrygii pilei in codice A genuinam formam retinent; at in codice B perverso ornatu vitiantur, quam Bartolus deformitatem more suo tacitus emendavit, nos fideliter conservavimus. Aeneae ac principibus siculis tab. 19. 20. 36. 40. 44. 47. hasta pro sceptro datur, qua super eximium legimus Iustini testimonium lib. XLIII. 3: *per ea adhuc tempora* (scilicet Romuli) *reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci sceptra dixere. Nam et ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluere: ob cuius religionis memoriam, adhuc deorum simulacris hastae adduntur.* Penates, ut dii quodammodo arcani, nec non umbra Anchisae, longis vestibus involvuntur tab. 31. 50. 51. Sibyllae praelonga vestis sacerdotalis, camilli et pueri regii comatuli, popae seminudi tab. 22. 24. 29. 45. Ascanii totus habitus phrygius, ut est in statua Paridis, tab. 21. 64. Didonis atque Creusae laxae vestes regiae fimbriatae tab. 27. 33, qualibus adhuc graecorum procerum coniuges gaudent. Caena in tabellis quidem 22. et 25. lunatis in lectis fit; verumtamen ad Circes mensam tab. 52. sedentes videre est: et quidem sedisse in convivio heroas, non discubuisse, doctrina Athenaei est; qua super re parcendum mihi verbis sentio, quandoquidem doctissimus Villalpandus ad Ezechielis cap. 21, morem hunc sedendi ad mensas antiquissimum demonstravit ex sacris bibliis, Philone hebraeo, Varrone, Athenaeo, Catullo, Virgilio, Ovidio, atque Macrobio. Urbanarum domorum, atriorum, navium, non inelegans, solida, et omnino prisca simplicitas est: picturas mihi quodammodo Pompeiorum spectare videor, perque illa erudita rudera pervagari. Lecti et cubiculi angustiae tab. 31. 38. 39. nonne graecam praedictae urbis cubiculorum brevitatem imitantur? Vela pro foribus praetenduntur in tab. 36. et 38, veluti sunt in vaticano Terentio, et in musivo ravennatensi, ubi Theoderici regis palatium repraesentatur. Templa vero potissimum solido pulcroque opere sunt aedificata, in primis tab. 54, ubi Agrippae templum quodammodo vides. Porro in tab. 24. 29. 33. 44. 45. 53. speciosa sacrificiorum imago est, cuiusmodi saepe in marmoribus per urbem romanam visitur. Et quidem tab. 53. vates coronatus lauri ramum manu gestat, ut alibi etiam Sibylla, quia lauri vis praesaga credebatur, ut diximus ad Hom. p. 9. Denique in tab. 64. militaris in castris consilii pervenusta pictura fit. Atque haec omnia, qui paulo certe eruditos oculos habeat, genuinam antiquitatem spirare non negabit.

His mature, ut par erat, mecum reputatis, novaeque editionis et plenioris atque verioris capto consilio, invocavi operam Caroli Ruspii, aurati equitis, cuius in delineandis decore apteque antiquitatibus notissima et clara laus est; qui non homericas solum tabellas e mediolanensi libro meo fideliter sumpsit, verum etiam codicem virgilianum situ, contrectatione, aliisque temporis damnis aegre adfectum, diligenti studio ac peritia expressit, et paene emortuas multarum rerum imagines rimatus est. Deinde vero huius graphides apud me depositas per alium opificem lithographici operis bene peritum in bavarico lapide repetendas

curavi; quamquam reapse opus lapideum elegantiam graphidum ruspianarum non satis est adsecutum. Quum autem ob honestandam hanc picturarum editionem nullis parcere curis vel sumptibus decrevissem, quinque etiam Virgilii codicum, quibus in omni genere scripturarum nihil propemodum est antiquius, specimina aere cusa mihi curavi. Primus horum est codex mediceus, ob Fogginii praesertim librum toti orbi notissimus, cuius folium forte fortuna in bibliotheca vaticana, cum picturato illo fragmentorum codice, conservatum est: atque huius ego folii versam paginam cusam do. Fuit enim et hic olim Romae codex inter Rodulphi Pii Cardinalis carpensis libros; post cuius obitum ad Cosmum I. magnum ducem Etruriae circa annum 1567. devenit, ut nos docet Bandinius in catalogo bibl. laurent. T. II. p. 285; cuius notitiae ignarus Heynius veteres adhuc cantilenas de huius codicis fatis recinit. Verumtamen quum hi duo antiquitus compingerentur a romano bibliopego codices, forte accidit, ut eius, qui nunc est florentinus, folium cum romano codice colligaretur, atque ita in nostra potestate maneret; defectus autem in mediceo volumine, recente folio sarciri debuerit. Atque hanc rem florentini cives, nonnisi ducentos fere post annos, nempe anno 1755. a Fogginio bibliothecae vaticanae custode demum resciverunt (Bandin. p. 291.): nam Bottarius ac ipse Fogginius rem in suis adhuc praefationibus anno 1741. impressis nescire se, silentio suo demonstrant. Utique Bottarius in emendationibus p. 185. folium illud se vidisse ait, sed partem esse codicis florentini non est suspicatus. Atque eandem rei inscitiam apud Fogginium quoque p. 459. videmus. Secundus est codex picturatus vat. 3225, super quo satis verborum inter eruditos fluxisse iudico. Tertius est pictus item codex vat. 3867, omnium ferme maximus et speciosissimus, cui secundi quoque generis picturae adiunctae sunt. Scriptura huius admirandi codicis pompeianorum mihi parietum inscriptiones aemulari videtur. Quartus est palatinus vat. 1631, pulcherrimis litteris exaratus, quem vix mediceo, aut ne vix quidem, recentiorem existimo. Quintus est codex vat. 3256, qui fuit olim Claudii Puteani, a quo donatus ad Fulvium Ursinum transiit, litteris aeque uncialibus, sed diversa forma praeditis scriptus, cuius unico versu ad specimen contentus fui. Quamquam vero hic codex nonnisi quatuor magna folia libri I. Georgicorum retinet, attamen miror, cur eum Bottarius aliique philologi non memoraverint, vel potius omnino ignorarint. Postremo, quia latinorum omnium (exceptis palimpsestis) qui quidem in pontificia bibliotheca servantur, antiquissimus est Terentii codex 3226. (diversus plane ab eo, cuius scenicae picturae iamdiu extant) ne huius quidem specimen lectoribus meis negandum censui, quo paulo pleniorem vaticanae palaeographiae imaginem contemplari queant.

Age vero quomodo se in exprimendis vaticanis iconibus Bartolus gesserit, in singulis postmodum ipsarum descriptionibus necessario dicturus sum; quamobrem heic omni iudicio supersedendum arbitror. Iam Bottarius haud sane in re antiquaria et philologica minor, quam in arte excudendi Bartolus, attamen a Campilia typographo non leviter delusus fuit: quum enim Bottarius in praefatione sua promisisset, se *carmina codicis* 3225. *eadem prorsus scriptionis forma et orthographia, et cum ipsismet librarii erroribus aut correctionibus additurum*

*esse picturis* ; Campilia , absente ut fama est Bottario , qui in vaticanis comitiis valde diuturnis conclusus erat , unde Benedictus XIV , cui virgilianum opus mox inscriptum fuit , pontifex processit ; Campilia inquam , nescio quo Orbilio regendis operis editionique praeposito , textum a vaticano codice persaepe discrepantem , futurae critices securus , impressit ; palaeographiam sponte subvertit , litteram etiam aliquam hodierni usus obtrusit , vocabula interdum manifesto errore corrupit aut funditus immutavit , praestantissimas aliquot et famigeratas poëtae lectiones sustulit : quae talia ac tanta quum Bottarius postea peccata vidisset , stomachans credo ac lugens septemdecim magnas paginas emendationum , saepe queritans incusansque typographum , scripsit : qua nulla fere maior calamitas , vel acerbior dolor liberali doctoque editori accidere potest. Neque tamen ipse Bottarius codicum palaeographiam ad unguem callebat ; veluti cum p. 169. *fraglantia* manifestum dicit librarii errorem ; quae immo sollemnis veterum scriptura est ; ut ex indice meo frontoniano palam fit. Hinc ergo cernimus perversam aeque et adversam carminum ac picturarum fuisse fortunam. ( Quin adeo Fogginius quoque in praef. et in adn. et typographum suum florentinum et semet aliquando incusat. ) Ceteroquin ego etsi picturas vaticanas reficiendas ad verum curavi , carmina tamen praetermisi : quia si curas meas aliquando ad Virgilii textum translaturus essem , non haec tantum codicis picturati fragmenta , sed omnia vatis poëmata ad praecipuos et optimos vaticanae bibliothecae codices exigere vellem.

Iamvero de multitudine virgilianorum exemplarium dum cogitarem , illud quoque apud me mirabar , cur Bottarius tam imperfectum numerum vaticanorum codicum in praefatione sua recensuerit ; quasi vero his tantum Virgilii opibus nostri plutei instructi sint. Ex vaticanis igitur proprie dictis , viginti septem descripsit Bottarius , quos inter , duos illos πάνυ 3225. et 3867 : insuper saeculi decimi , ut ipse definit , unum ; undecimi , item unum ; duodecimi , tres ; tertii decimi , quinque ; decimi quarti , septem ; denique decimi quinti , item septem. Atqui ego , praeter hos Bottario cognitos , complures alios deprehendebam ; et quidem vetustissimae aetatis codicem 3256 ; deinde Bucolicorum , Catalectorum , et partis Georgicorum codicem oblongum praenobilem saeculi XI. Alium saeculi eiusdem cum Buc. et Georg. Quartum cum B. G. A. addito Servio , saeculi XII. Quintum cum minorum aeneidis glossarum libello , saeculi item XII. Sextum langobardicis litteris cum G. et A. Quinque alios denique paulo ante inventionem typorum scriptos. Ex bibliotheca vat. palatina post illum nobilissimum 1631 , tredecim alios scribit Bottarius recentes admodum , praeter unum , quem XIII. saeculi iudicat. Sunt tamen ibidem et alii quatuor , quamquam aevi aeque recentis. Urbinatem vaticanum unicum novit Bottarius , qui tamen reapse quatuor sunt. Alexandrini , sive Reginae svecae , vat. codices quatuor noti Bottario fuere , qui reapse haud minus sexdecim sunt ; atque inter Bottario incognitos , unus decimi ferme saeculi est cum parte Servii , alter undecimi , tres duodecimi , totidem fere tertii decimi , postremi reliqui recentiores. Codices vat. otthobonianos nullos vidit Bottarius , quia nondum ea pars libraria ad pontificiam bibliothecam accesserat : nunc autem ibi quatuordecim saltem reperi Vir-

gilii codices, aevi tamen plerosque recentioris. Etsi igitur plurimae hactenus circa Virgilium fuerunt eruditorum hominum curae, vel una tamen bibliotheca vaticana iuniorum vel posterorum industriam acuere potest, quô novam in illustrando poëta laudem quaerant. Et quidem ego nullam Virgilii editionem omnibus numeris absolutam putabo, ante quam quatuor saltem uncialibus litteris scripti codices vaticani, cum mediceo florentino, ad litteram omnes diligentissime lecti expressique fuerint: quibus sextus addendus est paris aetatis veronensis in palimpsesto, e cuius olim ego marginibus scholiorum syllogem sumpsi. Denique fragmenta quoque sangermanense et pithoeanum, litteris capitalibus scripta (quorum primum in palimpsesto cum Aspro scholiaste latet) apud Gallos adhuc incolumia, pari ἀκριβείᾳ relegenda sunt.

Quandoquidem inter codicum virgilianorum specimina, terentianum quoque interposui, fert animus de picturis etiam scenicarum personarum, quae ex codice Terentii vaticano saeculi IX. (non ex illo multo antiquiore, cuius nos paginam dedimus) desumptae sunt, et repetitis editionibus divulgatae, pauca dicere. Primus eas germanus Bergerus, cum suo de larvis tractatu in medium adtulit (nam quas libere dedit Daceria, eas parisienses codices suppeditarunt) qui casu sibi in manum devenisse illas fatetur; quo dicto, se tantummodo delineatos a nescio quo comoedos, non ipsum romanum codicem, vidisse demonstrat. Reapse informem falsamque Bergeri editionem quis aequo animo ferat? Nam primo poëtae imaginem, quae in codice pulcra liberalique facie praedita est, foedam admodum atque aethiopi similem exhibet. Comoedorum autem ornamenta, vestes, gestus, numerus ipse personarum atque dispositio, a codice non semel discrepant. Personata capita in membranis magna, in libro sunt minuta; pro caligis, saepe calcei; pro capillis mitrae aut aliae operimentorum species; nomina ipsa comoedorum et vultus deerrant. Sed quid plura memoro, quum Bergeri liber a genuinis antiquitatis formis tantopere abhorreat, et omni etiam artis lepore careat? Longe apud nos nobilior Mainardi urbinatis processit editio; attamen is ad poëtae textum quod adtinet, nullum inspexit codicem, sed heinsiana editione contentus fuit. Neque in exprimendis picturis non libere versatus est Mainardi artifex; veluti, ut unum exemplum proferam, p. 7. Davi personam sponte sua replicavit, eique tunicam hodiernis globulis adstrictam induit; fimbrias vestium sive oblongas sive quadratas passim neglexit; aliaque multa impune peccavit, quae longum foret enumerare, nec nisi codicis collatione possunt coargui. Neque se melius Cocquelinius gerere potuit, tertius picturati Terentii editor, quia tabulis iisdem aereis, ab urbinate artifice olim cusis, compendii parsimoniaeque gratia, usus est. Quod autem iactat, se ob restituendam terentiani textus puritatem, codicem praecipue vaticanum antiquissimum 3226, nec non alterum figuratum, tertiumque nobilem, cum Eugraphio (non Cographio, ut scribit Cocquelinius) ex archio basilicae S. Petri, adhibuisse; id exiguam, ut vereor, meretur fidem; namque illum vaticanum πάνυ, brevi deserit; aliorum autem paucas oppido profert lectiones; ita ut rem prope integram futuris editoribus, si modo vere philologi fuerint, relictam arbitrer. Nam scripturae quidem specimen cocquelinianum cum nostro a lectoribus comparari velim, ubi si

apud Cocquelinium legitur EM DUXIT, apud nos EXDUXIT, sciant codicem ita evidenter habere ab antiqua manu, nec nisi a recentissima factum M pro X. Item apud nos recte est *misereas*, quod apud Cocquelinium paulo aliter scribitur. Nihil autem dico de cocquelinianis codicis picturati, et codicis S. Petri, cusis speciminibus, nisi quod ea a suis valde originalibus differunt, et hodierno stilo exarata videntur. Denique et Agincurtus nullum propemodum Terentio nostro lumen adtulit, quia properatas tantummodo graphides, et leviter ut in opere magno varioque diiudicatas, nobis praebuit. Superest igitur, ut sapiens aliquis et accuratus rei antiquariae amator, famosum codicem verius, additis etiam si fieri possit coloribus, exprimat: ex hoc enim alii quoque propagati olim videntur picti codices, famae licet pretiique minoris, veluti ambrosianus mediolanensis, unde ego tres olim ineditas tabellas extuli, et tertius anglicanus, cuius in libro mediolanensi feci mentionem.

Quae hactenus de virgilianis, terentianisque picturis disputavi, ea mihi antiqua artis, quae apud nos fuere vel sunt, monumenta in mentem revocant, atque ut deperdita lugeam, incolumia vero publicis conservatoribus valde commendem, permovent. Celeberrimae apud maiores nostros fuere picturae in Nasonum sepulchris extra urbem, in hortis sallustianis et urbanis aliis, in Titi Constantinique thermis, in C. Cestii pyramide, in domesticis Neronis balneis, in tiberiana domo, in Arruntiorum sepulchro, et in alio extra portam Capenam, in villa ( nunc Corsiniorum ) extra portam ianiculensem, in vinea montis Coelii ( ubi prope lateranam basilicam nunc aliae emergunt ), numerosissimae autem in sacris veterum Christianorum cryptis. Quid his, oro, iam factum est? Nisi eas aeterna cudendi aeris ars, pro sua facultate, multiplicatis exemplaribus conservasset, profecto parum vel prope nihil de his portentis parietinis iam videre liceret. Aëris enim inclementia, soli humiditas, custodiae ante nostram aetatem incuria, quandoque etiam furunculi, vel mercatorum aviditas, summam arti cladem intulerunt, et reliquiae admodum paucae suburbano solo erutae nuptiis ut aiunt aldobrandinis apud superos adsident. Sed bene est, quod a Sancte praesertim Bartolo elegantissimae in chartis relictae sunt, floridisque coloribus illuminatae historiae, e parietibus sollerter delineatae, ubi iam nullae nostra aetate supersunt. Neque parisiacam anni 1783. antiquarum Urbis picturarum quantumvis splendidam editionem cum his confundere licet, quia nimirum diversa iconum collectio est, uti mihi conferenti manifeste apparuit. Rursus bene est quod adhuc in aliquot mihi notis codicibus coloratae christianarum cryptarum picturae remanent; quae apud auctores quidem Romae subterraneae ducentas circiter tabulas aere cusas implent, coloribus tamen destituuntur; quodque longe miserius est, frustra in cryptis proluvione, situ, derelictione pessumdatis, nunc eas requiras.

Huius rei nuperum recitabo exemplum ( auctoribus Romae subterraneae ignoratum ) sacelli videlicet romanae matronae ac martyris S. Felicitatis, quod anno MDCCCXIII. iuxta Titi Caesaris thermas forte detectum, vetustas habuit prope incolumes picturas divini Servatoris, SS. Petri et Pauli, Danielis prophetae in cavea leonum positi, et incogniti alterius, cum vetere kalendario; in

primis vero insignem iconem S. Felicitatis septemque filiorum eius, cum inscriptis singulorum nominibus Felicitatis, Ianuarii, Alexandri, Vitalis, Felicis, Philippi, Martialis, atque Sillani, et sententiis aliquot. Ipsa quidem matrona manibus pansis orans, stolata atque velata; liberi autem manu tenentes martyrii sui coronas, cum gemina hinc inde palmae arbore, et insidente symbolo immortalitatis seu resurrectionis phoenice; utrimque adstantibus martyrii ministris, lictore nimirum cum virga, et clavigero custode carceris: in nubibus autem divino Servatore Felicitatem coronaturo; et in summa iconis coronide agno mystico, cum quatuor aquae scatebris, duodecim ovibus, et adumbratis Hierusalem ac Bethleem urbibus; adscripto etiam Victoris nomine votivi, ut videtur, sacelli auctore. Quod si Victoris nomen abesset, ego enimvero quum in actis pontificalibus legam S. Bonifacium I. PP., qui sub Honorio imp. pontificatum gessit, oratorium in coemeterio S. Felicitatis fecisse, existimassem hoc ipsum esse de quo loquor sacellum: etsi enim quoddam S. Felicitatis coemeterium in via salaria fuisse non ignoro, attamen aliud quoque eiusdem Martyris coemeterium cum sacello, et inscripto Bonifacii nomine, in Appia via memoratur; qua super se consulantur vitae pontificum rom. in amplissima et κριτικωτάτῃ Blanchinii editione. Tertium hoc est igitur S. Felicitatis sacellum ad Titi thermas: cuius picturam quinto circiter vel sexto saeculo elaboratam, etsi artis nobilitas non commendabat, nativa tamen quaedam simplicitas, et vivida maiorum nostrorum religio valde nobis mirabilem caramque efficiebant. Iamvero his paucis elapsis annis, quin ullius hominis culpa intercesserit, tanta ruina picturae eius facta est, ut reliquis cunctis dilapsis, unica partim superfuerit sanctorum iuvenum cum matre ico; sed quid dico superfuerit? quum huiusmet iconis vix deformia aliquot atque interrupta lineamenta spectentur: ita ut nisi olim et nunc etiam eruditi homines, priscae artis religionisque amatores, efficiendum acri studio conservandumque apographum utcumque curassent, nihil iam de hoc praeclaro christianae pietatis monumento reliquum foret. Ad vetus picturarum genus membranae quoque vat. palatinae pertinent, ubi Iosuae historia copiosissima est, cum verissimis antiquitatis formis; deinde una etiam et altera in codice vat. agrimensorum picta tabella; postremo vitrei scyphi in museo sacro pontificio, quos iamdiu Bonarotius egregio commentario illustravit. Sed ecce rotam suam his annis fortuna convertit: etenim ad solandum deperditarum apud nos graeci romanive generis picturarum dolorem, etruscas multas e tarquiniensi necropoli reserat; ex agro autem Vulciente, Vituloniae, Cossae, Caeritis, Polimartii, Vulsinii, Clusii, totoque illo usque ad Volaterras tractu, pictorum vasorum copiam innumeram; ita ut cum nolanis opibus, herculanensibus, ac pompeianis certare iam liceat. Nunc ut e longiore diverticulo ad propositum meum revertar, Virgilii tabellas in utroque codice vaticano depictas, nempe in cod. 3225. sive A meliore, et in cod. 3867. sive B deteriore, accurate describam.

# PICTURARUM

## CODICUM VIRGILII DUORUM

### DESCRIPTIO HISTORICA ET CRITICA. (*)

I. B.

Virgilius tunicatus palliatusque sedens, supposito pedibus, more illustrium virorum, scabello; crepidatus, et volumen manu tenens. In dextra tabellae parte pluteus anagnosticus, in sinistra scrinium librorum serâ occlusum. Non habet hanc picturam Bartolus, sed eam dedit in praefationis calce Bottarius. Eadem minoribus formis repetitur in codice fol. 9. et fol. 14.

II. A.

Constat haec tabula sex minutis iconibus. I. Tityrus sedens, cum cultu phrygio ac pastorali pedo et fistula, quem adloquitur Meliboeus, Ecl. 1. II. Hercules Busiridis interfector, adstante popa. G. III. 5. III. Videtur idem Hercules hydram lernaeam occidens; verumtamen, quia de hoc facinore in georgicis silet poëta; videtur fortasse intelligendus pastor, qui adversus hydrum aquaticum calabra palude emergentem, intendit fustem, de quo poëta G. III. 425. IV. Dido stipata iuvenibus, in solio regali residens, quam coram adloquitur Aeneas diadematus, comitante Achate, nuper ad africanum littus tempestate eiectus, Aen. I. 594. V. Charon in cymbam animam recipiens, aliam vero ex eadem repellens, Aen. VI. 315. VI. Pictura sexta huius tabellae ita in codice evanuit, ut iam nulla esse videatur: attamen nos ex superstitibus aliquot lineis eam utcumque divinavimus, quasi nimirum sit Pallas Evandri filius, qui Aeneam extra urbis pallanteae portam excipit, Aen. VIII. 110, quamquam heic Aeneas non de navi, ut dicitur v. 115, sed de plano solo respondet: quare fortasse quis malet intelligere Tarchontem etruscum principem, qui item Aeneam venientem excepit, Aen. X. 153.

Bartolus hanc omnem sex iconum tabulam omisit, quia valde evanescentem videns, labori pepercit, neque argumenta divinavit. Hinc tamen nobis constat, haud recens esse hoc damnum codicis, siquidem Bartoli aetate iam valde oblitterata tabella erat. Bottarius autem in emend. p. 169. rotunde ait totam hanc tabellam, in sex divisam historias, edace aetate deletam; quod merito quidem de sexta, et propemodum etiam de quarta dici potuit; de ceteris vero non item. Denique Agincurtus nullam huius tabellae facit mentionem.

(*) In fronte operis virgiliani prisca aliquot, quae poëtam illustrant, a nobis monumenta delineata fuerunt; videlicet 1. Laocoon vaticanus. 2. Equus troianus, qui est apud Winckelmannum in antiquis monumentis. Lupa nutrix capitolina. 4. Silenus ebrius ex anaglypho vaticano. 5. Aeneas Anchisem baiulans ex tabula iliaca. 6. Orphei mors ex etrusco picto vase.

III. B.

Tityrus tibiam inflans, ac Meliboeus capellas ducens, Ecl. I. Quamquam haec ex codice deteriore B. pictura sit, habet eam nihilominus Bartolus, sed suo more exornatam, ac pro libito variatam. Nomina quoque pastorum omisit Bartolus. Nos ad codicis fidem omnia expressimus.

IV. B.

Pastorum Menalcae ac Damoetae certamen poëticum, iudice Palaemone, Ecl. III. Invetusti artificii tabula atque a Bartolo praetermissa.

V. B.

Menalcae cum Mopso certamen item poëticum: visuntur tentoria duo, canes totidem, et capellae quatuor, Ecl. V. Deest apud Bartolum, sed habet Bottarius in fronte praefationis paulo elegantius vero efformatam.

VI. B.

Corydon et Thyrsis cantu certantes, arbitro Meliboeo, Ecl. VII. Non habet Bartolus, sed est apud Bottarium elegantius refecta ante typographi epigraphem.

VII. B.

Pastores duo, equi, capellae, ovis, canis, Georg. lib. III. ubi de animalium cura. Omisit Bartolus.

VIII. B.

Pastor, canis, equi, et amoris causa certantes tauri, Georg. III. 75. 218. Item omisit Bartolus.

IX. A.

Ob vitandam asili molestiam boves a pastore et a femina rustica compinguntur ad flumina et umbras speluncarum, G. III. 144. seq. Dextra picturae parte est flumen, cum inscriptione TANACER, qui reapse a poëta appellatur v. 151. In nubibus Iuno depicta est, quia poëta v. 153. narrat, Iunonem praedicti asili molestiis exercuisse Ionem Inachi filiam in vaccam, ut aiunt fabulae, conversam.

Omisit Bartolus more suo perpetuo inscriptiones TANACER et IUNO. Feminam rusticam demissa usque ad talos tunica, insuperque peplo, veluti matronam convestivit; cum tamen pictor brevi nec ultra genua decidente tunicula iustius induisset. Neque est cur quisquam pro Iunone intelligat Palem, cuius invocatio sub pictura memoratur: etenim absurde Dea terrestris ac pastoralis in caelo collocata foret. Nubes etiam Bartolus eleganter ut cetera ad libitum suum conformavit.

X. A.

Hac in tabula boum seu iuvencorum domituram exprimere pictor debuit, ut postici fragmenti carmina ostendunt, G. III. 163. Reapse bubulcus capistris pares iungit boves duos, et verbere regit. Circulorum quoque vimineorum, quorum poëta meminit, circa iuvencorum colla vestigia remanent in pictura evanescente. Alius bubulcus vaccam mulget: reliqui boves liberi vagari sinuntur, ut ait poëta v. 162. Coram domus duae rusticae, cum curru, et dilabente pictura fortasse rustici.

Non vidit Bartolus boum capistra, neque domari hos intellexit, sed ad

mulctram tantummodo vaccas propelli iudicavit. Pro curru in domo rustica fecit scalas, quae nullae in pictura vetere fuerunt: arbores ritu suo frondosiores fecit: alteram item rusticam domum non vidit Bartolus, sed loco eius septum ex tabulis pinxit in sinistro picturae latere.

XI. A.

Pugna taurorum, iuvencae causa, quae adest, G. III. 218.

*Pascitur in magna Sila formosa iuvenca,*
*Illi alternantes inter se proelia miscent.*

Victus taurus, atque armento seiunctus, iram suam in arborem exercet, seque ad nova comparat proelia v. 232. Hac in tabula terram imminuit ut caelum augeret Bartolus, vaccam taurino id est breviore capite fecit, seu potius vaccam non agnovit. Arborum quoque speciem variavit.

XII. A.

Greges ad aquarum canales potantur, sole flagrante, G. III. 327. Bartolus mendose bovem pro ove, quae est in codice, pinxit; unum e pastoribus barbatum esse non agnovit; circulum aureum circa Phoebi a se ut placuit transformati collum non vidit; montes campumque de suo addidit.

XIII. A.

Horti cura, et praesertim rosarii, G. IV. 118. Qui sedet senex videtur ille Corycius v. 127, qui praecepta rustica tradit adolescentibus rosas legentibus. Lucifer aut hesperus in caelo visitur, vel quia rosae summo mane leguntur, vel quia Corycius, ut ait poëta, sera nocte domum reverti ab opere solebat. Stellam incaute praetermisit Bartolus; et domunculae rusticae latus, praeter codicis fidem, sine fenestris pinxit; gestum salutantis, quem veteres indice medioque digito elatis faciebant, non recte expressit; canistros omisit.

XIV. A.

Cyclopum officina, G. IV. 170; qua comparatione poëta utitur ad apum opificium ac sedulitatem demonstrandam. Duplex pro unico speluncae ostium Bartolus licenter fecit: scutum, quod ab uno e Cyclopibus tenetur, non vidit: fulmen fabricari confinxit, quod sane a poëta dicitur, sed tamen, ut se habet tabella, massa potius quadrata in incude conspicitur.

XV. A.

Orpheus cantu citharaeque sono placatis Diis inferis Eurydicen revocat, cuius obscura umbra in antro apparet, G. IV. 467. Cerberum ipsum et Ixionem harmonia oblectat: *tenuitque inhians tria Cerberus ora, - atque ixionii cantu rota constitit orbis.* Ultra Stygem glomerantur umbrae studio audiendi: *at cantu commotae Erebi de sedibus imis - umbrae ibant tenues, - quas circum limus niger et deformis arundo - Cocyti, tardaque palus innabilis unda - adligat.*

XVI. A.

Mors Eurydices, Orphei uxoris, quae dum pastorem Aristaeum fugeret, ab hydris incaute calcatis perempta est, Aen. IV. 457. Ridicule admodum in editione rom. anni 1782. p. 11. legitur *quam fugiens Aristaeus conculcavit*, pro, *quos* (hydros) *fugiens Aristaeum, conculcavit*: quasi nimirum Aristaeus Euridicem, non Eurydice hydros, pede pressisset. Pars dimidia picturae periit cum

membrana, cuius rei nullam rationem habuit Bartolus, qui tacitus eam supplevit, campo vacuo adiecto. Ego vero Orpheum potius lyra lugentem v. 464. uti narrat poëta pingendum curavi, eo tamen delineationis genere, quo supplementa monumentorum denotari solent. Haec pictura ordine temporis decima quinta est; sed eam codex insertam carminibus posterioribus habet.

Stantem in antro fecit Bartolus umbram, cum tamen ipsa, etsi tabula satis est obscurata, sedere videatur. Illud gravius, quod hanc figuram et reliquas animas, non instar umbrarum, ut fit in archetypo, id est obscuris coloribus fecit, sed instar vivorum hominum. Ceteroquin in tabella, praeter Orpheum, Ixion quoque ut vivens pingitur; quia non sine corpore damnatus ad rotam in fabulis traditur.

XVII. B.

Naves Troianorum tempestate iactatae, ut libro primo aeneidos narratur. Eleganter hanc picturam expressit Bartolus, sed idem a veritate exemplaris discessit, in quo et pilei phrygii et homines longe invenustius pinguntur. Illud incongrue fecit Bartolus, quod e ventorum cornu non flatum, rectis lineis denotari solitum, sed fumum globosum eduxit.

XVIII. B.

Neptunus, adsidentibus Minerva et Diana, vel Marte potius et Apolline; adstantibus Mercurio et incerta Dea. Iam si poëtam spectamus, nihil aliud fere heic intelligi potest, quam Neptunus ventos post tempestatem cohibens. Cetera sine iusta causa excogitavit artifex. Bartolus non habet.

XIX. A.

Carthaginis aedificatio, quam Aeneas cum Achate de summo colle observat, Aen. I. 419. Permulta heic peccavit Bartolus; namque intra urbem pro una rota, quae trabi adnexa, pondera subvehit, duplicem sibi confinxit, neque pondus delatum vidit, neque secundae domus tectum consummatum. Insuper nudum hominem pro tunicato fecit, qui in pavimento stans, tectum aedificii incredibiliter manibus attingit. Atqui reapse ille operarius est, qui in tabula, ut fit, prominente stans pondera delata excipit. Insuper Bartolus circa Aeneam nubem induxit, cuius nullum in archetypo vestigium est, quamquam poëta eam commemorat. Vestium ornamentis in antiquis monumentis sollemnia, id est fimbrias assutas, heic et alibi imperite neglexerunt Bartolus itemque Agincurtus. Denique utrum in dextra picturae parte sint lapicidae, ut Bartolus intellexit, an potius fossores sabuli ad areenatum conficiendum, ambigo. Pictura similis cum rota et lapicida apud Montfauconium est in itin. ital. p. 103.

XX. A.

Aeneas comitantibus Phrygiis Didonem adloquitur in solio residentem cum regio redimiculo seu mitra et sceptro, adstante retro sorore Anna, quae et ipsa vittam regiam in capite gestat, Aen. I. 594. Impetrato Didonis hospitio, Achatem ad naves mittit Aeneas v. 644., quarum binae in mari cum turma sunt. – Regiam Annae vittam neglexit Bartolus: pro maris sinu, promontorium seu montem eleganter pinxit, ultra quod mare produxit; inscriptionem neglexit.

XXI. A.

Venus Cupidinem filium sub Ascanii figura ornatuque ad Didonem mittit, Aen. I. 657. Ascanium vero ipsum in Idaliae lucos deportatum somno inter flores consopit in sacrata ut ait poëta sede, id est prope fanum. Bartolus pro dorico ordine ionicum in templo fecit: stratum Ascanii floreum omisit, itemque solitas vestium fimbrias, proque delphino incertum piscem ad Veneris pedes pinxit.

XXII. B.

Didonis cum Aenea convivium, alio etiam accubante, qui Ascanius (vel potius Cupido sub Ascanii imagine) dicendus esset, nisi aetas maior puerili videretur, Aen. I. 697. Nimbos pictor capitibus principum circumdat, quem antiquiores artifices nonnisi Diis appinxisse videntur, sicuti fit in codice homerico ambrosiano. - Bartolus universam tabellam scite pro suo ingenio exornavit, et duos potissimum pueros seu pocillatores in archetypo invenustos, ipse ad elegantiam contulit.

XXIII. B.

Equus ligneus ad Troiam relictus a Graecis. Sinon nudus religatisque manibus coram Priamo. In moenibus Hecuba; cui, itemque Priamo, utpote principibus nimbum honorarium circumduxit pictor. Aen. II. Bartoli spontaneam venustatem artifex meus imitari noluit, ne picturam falsam pro vera exhiberet.

XXIV. A.

Tauri sacrificium ad aram Neptuni, cuius item templum et effigies visitur, Aen. II. 201. Paulo longius situm est Minervae templum, cum eius item effigie. Retro mare, e quo gemini adlabuntur angues. In sinistra picturae parte Laocoon cum duobus liberis, anguibus circumplicatus, v. 212. - Neptuni Bartolus neque tridentem vidit neque delphinum; templique neptunii ordinem pro dorico fecit corinthium. Tectorum tegulas tum hic tum alibi pro curvis planas fecit: popam pinxit barbatulum, qui reapse est imberbis.

XXV. A.

Graeca classis favente luna Tenedo ad troianum littus provehitur. Troianos Graeci hesterna crapula et somno gravatos invadunt, Aen. II. 254. Sinon equi lignei claustra laxat, unde armati prosiliunt, qui Troianos caedunt in tricliniis. - Libere more suo Bartolus in figuris versatus est, et triclinium rotundum fecit, quum revera sit tantum sigma cum patina. Equi lignei habenas non vidit, et pro duabus unam pinxit navim: elegantiae in tota pictura studuit, quae tamen in membranis est admodum invenusta.

XXVI. A.

Hectoris umbra dormientem Aeneam de Troia capta et de fuga capessenda admonet, Aen. II. 270. - Umbram Hectoris, quam pictor more suo nigram evanidamque, negatis vivorum coloribus, fecerat, Bartolus instar hominis viventis, prorsus candidam, ut ipsum Aeneam, nobis exhibuit; parietemque cubiculi altius, quam est in exemplari, eduxit; lectuli pedes venustius elaboravit; culcitram denique in qua dormit Aeneas cum ipsius veste nocturna partim confudit seu continuavit; architecturam nobilitavit.

XXVII. A.

Creusa exorat Aeneam quominus domo discedat, Aen. II. 673. Ascanio puero prodigiose caput ardet, quam flammam famuli lymphis extinguere satagunt v. 685. Anchises, augurio agnito, Iovi supplicat. - Fimbriatas vestes non fecit Bartolus neque Agincurtus, et columnas pro doricis fecit Bartolus ionicas: iuvenem cum concha pinxit, pro sene cum hydria.

XXVIII. A.

Aeneas cum navibus aliquot patria discedit. In littore *omnis humo fumat neptunia Troia*, Aen. III. 3. - In navibus loricatos fecit viros Bartolus, qui reapse nudi videntur; itemque in littore flammam sine aedificiis, quae tamen considerantibus satis apparent; velum simplex in navi pro duplici exhibuit.

XXIX. A.

Aeneas sacrificaturus, dum myrtum prope mortuarium tumulum decerpit, sanguinem inde manantem videt, auditque e tumulo vocem extincti Polydori de suo fato conquerentis, Aen. III. 19. seq. Ante aram camilli duo et popa, cum tauro ad sacrificium exornato. Pone est Minervae templum, cum signo Deae; quamquam poëta Aeneam Veneri sacrificantem scribit v. 19. Procul nova urbs in Thracia ab Aenea exstructa, v. 17. Vestium fimbrias more suo neglexit Bartolus, quod iam deinceps reprehendere desinam; templi minervalis columnas corinthias quadratasque fecit pro rotundis ac doricis; basim quoque templi variavit; item in urbis aedificiis immutavitque quaedam vel auxit; incertam arborem pro myrto posuit; camillum ultro coronavit, et imberbem popam barba donavit; tumulum denique pro clauso apertum ostendit, eiusque inscriptionem suppressit.

XXX. A.

Urbs ab Aenea condita in Creta insula, Aen. III. 132. In littore classis Troianorum subducta. In mari pictor quinque insulas adumbravit, quas poëta v. 123. seq. nominatim appellat, videlicet Ortygiam, Naxum, Donysam, Olearon, Parum. Insularum aedificia prope ad formam hodiernam Bartolus accommodavit; capellam unam loco duarum vidit, eamque in asellum vel equinum pullum mutavit; taurum cornigerum pro vitulo pinxit; et in aedificiis solita libertate luxuriatus est.

XXXI. A.

Dii penates in somnis Aeneam admonent, ut Creta relicta in Hesperiam naviget, Aen. III. 148. - Barbatos pro imberbibus, contra fidem codicis, Bartolus Penates fecit.

XXXII. A.

Siciliae urbes septem a pictore adumbratae, Megara, Thapsus, Camarina, Gela, Acragas, Selinus, Lilybaeum. Cernitur etiam Pachyni proiectum promontorium, nec non Arethusa insula. In dextra picturae parte est Drepani portus, ad quem Aeneas classem appellit, Aen. III. 689-707. Graviter hac in pictura peccavit Bartolus, qui aedificia (quibus urbes ut dixi compendiose adumbrantur) ad hodiernam formam inflexit; duos loco trium in navi fecit viros, aërem addidit; viam etiam quandam de suo descripsit. Porro vetus pi-

ctor heic et alibi arte quidem rudis, formarum tamen et ἤθους peritus tenaxque cernitur.

XXXIII. A.

Dido sacrificans nuptiarum gratia quas moliebatur Aen. IV. 56. Adstant camilli duo, totidemque popae, et vacca cum ove. Pone templum Iunonis cum Deae signo. – Coronavit sponte Bartolus duos camillos, et quidem intonsos, quum sint in exemplari capite nudo ac tonsi; ovem vertit in vitulum, corollaque spoliavit; columnas ex doricis fecit corinthias, pavonem Iunoni ultro addidit; popam alterum fecit barbatum, quum sint ambo imberbes; Didonem denique ipsam pro suo placito convenustavit.

XXXIV. B.

Didonis cum Aenea nuptiae in spelunca, saeviente aëris tempestate quae venationem abrupit, Aen. IV. 165. – Bartolus quidem quo studiosius venustatem artis sectatur, eo longius ab archetypi veritate recedit.

XXXV. A.

Urbs Carthago, cuius aedificia prope omnia sunt absoluta, domus nempe, basilicae, et theatrum, statuae insuper, et quadriga portae urbis imposita. Extra muros opifices duo. Dextra picturae pars periit, ita tamen ut particula chlamydis Aeneae stantis, eiusque sinistrum crus superfuerit. Sine dubio autem audiebat Mercurium Aeneas, qui fundantem arces et tecta novantem, Aen. IV. 260, increpuit ex Iovis mandato, et de itinere italico admonuit. Quamobrem Mercurium addendum curavimus cum redintegrata Aeneae figura.

Multa hic peccavit elegantissimus Bartolus; nam 1. spectatores de supplemento picturae a se curato non admonuit. 2. Mercurium ab aethere finxit loquentem, quem poëta in plano collocat: *ut primum alatis tetigit magalia plantis* v. 259. Insuper sui temporis mori serviens, hominem genibus flexis penicillo creavit, Aeneae stanti delineationem urbis in membrana ostendentem, quasi romanum aliquem architectum ad sacri Principis pedes. Statuas quoque urbanas variavit, et turrim quandam formae hodiernae adsimilavit; campum, nubes, et aërem addidit.

XXXVI. A.

Postquam Dido intellexit fugam meditari Aeneam, furens amore et ira, querulis verbis cum hoc expostulavit, Aen. IV. 304. Dido extra regiam est cum famula. Aedificium paulo ornatius auctiusque fecit Bartolus, formas personarum in melius vertit, campum montesque ultro appinxit.

XXXVII. A.

Aeneas classem noctu solvit, deserta Carthagine, Aen. IV. 571. Dido mane de specularibus abeuntes conspicata Troianos, furit, crinem lacerans pectusque tundens v. 586. – Aeneam, qui cum cetera turma nudus in pictura videtur, armavit lorica, et quidem romana, Bartolus. Aedificii fronti quatuor pro duabus columnas adtribuit, corinthias pro doricis; tegulas variavit, mare ampliavit, aërem addidit.

XXXVIII. A.

Dido in cubili, cui rogus est suppositus, residens, ensemque Aeneae mo-

ritura tenens, extrema verba loquitur, Aen. IV. 651. Cubiculi ianuam, ex uno ad aliud latus protensam, nulla artis regula neque apud Bartolum neque apud nos patitur.

XXXIX. A.

Didonis αὐτοχειρία. Circumstant famulae cum planctibus et eiulatibus, in primis Anna soror, Aen. IV. 663. Cuncta ad venustatem revocavit Bartolus; et cubiculi ianuam recte, sed praeter fidem exemplaris, collocavit.

XL. B.

Sacrificium ludique ob Anchisae inferias. Sedent tres principes Aeneas, Acestes, atque Helymus, Aen. V. 72. Ante pedes coronae palmaeque, ludorum praemia. In tabulae angulo tumulus Anchisae, ante quem Ascanius puer hostiam ferit, cuius cruorem serpens (qui erat Anchisae genius vel anima) tumulo prodiens ebibit v. 84. Omisit picturam Bartolus, quia fortasse argumentum eius non intellexit. Ceteroqui codicis B. picturae byzantinos mores in pileis, corollis, reliquoque ornatu vel usibus imitari mihi videntur.

XLI. A.

Initium cursus ludicri navalis ob honorandas Anchisae exequias, Aen. V. v. 114. Prima navis gerit pristios signum; secunda leonis (at poëta dicit chimaeram); tertia centâuri; quarta Scyllae biformis. Navium gubernatores in puppibus sedent; verum navarchi, heic et postea, sub tecto dignitatis causa. Procul in mari metae duae, id est ilices in saxis maritimis collocatae v. 129. – Ornatiores heic et postea fecit naves Bartolus, et cupressos pro ilicibus pinxisse videtur.

XLII. A.

Navium cursus metam attingit; vincitque Cloanthus, qui navarchus erat in navigio Scyllae, seu Tritonis, v. 171. Gyas vero praesidens Chimaerae, Moenetem gubernatorem, qui a meta longius recesserat, in mare deiicit v. 175. Secundos honores fert pristis seu Menestheus.

XLIII. A.

Troiana classis Sicilia discedit Italiam versus. Aeneas in puppi stans, pateramque tenens, vina et exta in mare effundit, Aen. V. 776. Interea Venus in littore Neptunum adloquitur, exoratque ut tutum classi troianae iter concedat v. 779. – Non vidit Aeneae pateram Bartolus; itaque fecit manibus iunctis supplicantem; Veneri monile baccatum, pro collari aureo, dedit.

XLIV. A.

Aeneas apud Cumas Sybillam adit, Aen. VI. 9, comite Achate, ut eam de fatis suis sciscitetur. Iuxta est Apollinis templum cum ara, et variis florentia limina sertis, ut alibi poëta loquitur. Statua prae templi foribus non satis ex cultu discernitur cuiusnam imago sit. Sibylla laurum infulis dependentibus gestat. – Columnas pro doricis corinthias exhibet Bartolus, campum nubesque de proprio suppeditat.

XLV. A.

Aeneas Diis inferis sacrificium oblaturus, quatuor ad aram statuit nigros iuvencos, Aen. VI. 243. Ipse atri velleris agnam v. 249. et sterilem vaccam

immolat, cui postremae Sibylla latices affundit. Adsunt tres camilli, quorum unus pateram gestat, non ut putavit Bartolus acerram. Ara frondibus est coronata, quem morem nos docet poëta alibi: *ramis tegerem ut frondentibus aras.*

Vittam regiam Aeneae neglexit Bartolus, quam habet exemplar. Pro agna, vitulum iuxta vaccam collocavit, contra poëtae et archetypi auctoritatem. Fimbrias in camillorum vestibus heic tandem vidit expressitque Bartolus; ceteroqui boum cornibus infulas non suspendit.

XLVI. A.

Aeneae Sibyllaeque ingressus ad inferos. Aeneas stricto pugione pergit, ob monstrorum metum, Aen. VI. 290. Prima occurrit Allecto, eo vestis cultu quo in pictura etiam LVI, cum palla scilicet cruenta ac face et capite anguicomo. Exin vasta belua, corpore serpentino, facie humana anguicrinita. Hanc ego primo bellum esse existimaveram, quod in foribus occurrisse ait poëta v. 279: *mortiferumque adverso in limine bellum.* Profecto belli figura eiusmodi ostensa dicitur in somnis Hannibali apud Ciceronem de divin. I. 24: *visam beluam vastam et immanem circumplicatam serpentibus - Deum respondisse vastitatem esse Italiae.* Sed enim lernaeam hydram postea iudicavi, quam item poëta memorat v. 287. Extat enim in dissertationibus P. Raffaei, quae Winckelmanni monumenta comitantur p. 81. seqq. hydra ab Hercule occisa, capite muliebri, cruribus serpentinis; de qua rara effigie docte disputat idem Raffaeus; nunc autem vaticana pictura controversiam de hydrae capite, apud Raffaeum aliquantulum adhuc turbatam, prorsus definit. Nam Bartolus vulgatae opinioni adhaerens de pluribus hydrae capitibus, sic eam expressit in suo ectypo; vel femineum caput praeiudicata mente non agnovit. Bartolum autem secutus est Agincurtus. Exin centauri v. 286; postea in antro chimaera flammivoma v. 288; tum Geryon tricorpor v. 289; Scylla biformis v. 286; Harpya v. 289; Briareus centumgeminus v. 287. In medio ulmus, somniorum dicta, cum epigraphe. Illic discordia anguicrinita item cum epigraphe v. 280. Reliquae umbrae septem, videntur fere intelligendae senectus, luctus, fames, egestas, letum, labor; qui vero iacet ad pedes supplex, ille haud inconcinne metus intelligetur; de quibus omnibus monstris poëta v. 274. seq. - Paludem, unde hydra emergit, non vidit Bartolus; contra vero flammas domui plutoniae circumposuit, quae nullae sunt in exemplari.

XLVII. A.

Sibylla cum Aenea, emensa palude stygia, Cerbero saevienti offam in antro stygio obiicit v. 420. Primae post Cerberum parvulorum animabus adsignatae sedes, v. 426. In sinistra urnae parte sex animae sententiam, ut reor, iudicis praestolantes, v. 430; dextra, duae iam sedem propriam sortitae. - Recte omnia Bartolus, nisi quod campum et aërem studiosius expressit, et Sibyllae coronam non imposuit.

XLVIII. A.

Aeneae occurrit Deiphobi umbra, qui mutilatus manibus fuerat aliisque corporis membris v. 494. Coram est urbs tartarea, circaque Phlegethon v. 549. Ibi celsa turris et porta, iuxta quam Tisiphone anguicrinita cum face. - Bar-

batum fecit Deiphobum Bartolus, qui est in exemplari (valde tamen obscurato) imberbis; quodque peius est, plenis coloribus ceu viventem depinxit, quum sit in archetypo atra umbra: dexteram Aeneae manum demisit, quam is reapse in archetypo ad os attollit; Sibyllae infulas omisit.

XLIX. A.

Aeneas postquam se aqua (quae pone est) conspersit, ramum aureum in limine plutoniae domus figit v. 635. Hinc transitus ad elysios beatorum campos, ubi aër serenus purusque v. 640, quum post domum plutoniam sit obscurus. In elysio beati exercentur luctâ et curulibus ludis v. 642; Orpheus his praecinit, v. 645; equi soluti pascuntur v. 652. Qui sunt in laurino nemore, ii videntur tripudiantes v. 658; sed quia pileos phrygios gestant, eos arbitror tres veteres Troiae heroas, Dardanum, Ilum, Assaracum v. 650. - Aërem in elysio, contra fidem codicis, communemque sententiam, fecit atrum Bartolus; proque lauri nemore incertas arbores pinxit; tertium denique equum fecit integrum, qui in tabella est dimidiatus.

L. A.

Aeneas Anchisem patrem sibi occurrentem amplectitur, Aen. v. 684. Idem Aeneas, comite Sibylla, demonstrante Anchise, animas spectat quae letheos latices potant v. 714. - Heic quoque aërem Bartolus fecit absurde nigrum, quem poëta v. 640. dicit clarissimum; neque Aeneae vittam regiam, neque Sibyllae lauream, neque umbrae anchisaeae pallium in capite posuit.

LI. A.

Aeneas cum Sibylla per eburneam portam Elysio excedunt; Anchisae vero umbra ab his retro cedit v. 899. Portas more suo Bartolus convenustavit, Sibyllam lauro spoliavit; sed illud notabilius est quod camporum montiumque conspectum per corneam patefecit, qui nullus est in membranis.

LII. A.

Circe saga, quae in regno Circeio Ulixis socios in ferarum ora conversos pascit, quem noxium locum Troiani praetervehuntur, Aen. VII. 10. Eadem saga *arguto tenues percurrens pectine telas*. - Bartolus galeatos fecit Troianos qui sunt nudo capite in autographo. Idem virum potius quam feminam ante mensam semiferorum statuit: cetera libertate solita ornavit.

LIII. A.

Latini regis sacrificium, adstante filia Lavinia, cui caput prodigiose ardescit. Adsunt camillus puer, et vates qui apum prodigium observat et enarrat, Aen. VII. 59. - Bartolus templi tectum variavit, laurum a solo, non a muro, eduxit, campum montesque arbitratu suo depinxit.

LIV. A.

Troianorum legatio ad Latinum regem, Aen. VII. 152. Coram est regia Pici, architectura insigni, medio densoque in luco v. 170. Aedificium ornant in superioribus anaglypha, inferius autem latinorum regum statuae. Rex ipse Latinus ante regiam in sella residet sceptriger et diadematus, custode corporis retro adstante. Coram sunt quinque legati troiani, quorum primus Ilioneus regem adloquitur; ceteri dona ferunt, nempe secundus Priami pileum regalem

phrygium; tertius eiusdem chlamydem regiam; quartus sceptrum, ut videtur; quintus auream pateram quae fuerat Anchisae, v. 245. seq. *Hoc pater Anchises auro libabat ad aras – Hoc Priami gestamen erat – sceptrumque sacerque tiaras.* His reapse ornamentis indutus cernitur Priamus in tab. XXIII.

Lucum, contra fidem exemplaris dictumque poëtae, rariorem fecit Bartolus; bases columnarum corinthias pro doricis; Priami pileum seu tiaram non agnovit; spondas, quibus gradus vestibuli finiuntur non vidit; ornatus aliquot templi omisit, alios addidit; hastam Latino pro sceptro dedit.

LV. A.

Troiani a Latino donantur equis magnifice stratis, quos regii stabularii adducunt, Aen. VII. 274. – Montes, campum, nubesque de suo Bartolus appinxit.

LVI. A.

Iuno Troianis infensa furiam Allecto ex antro tartareo evocat, eique Italiam bello permiscendam committit, Aen. VII. 323. Iunonis ornatus mitra, peplum, sceptrum; Allecto anguicoma, cum palla succincta, et face. – Campus, arbores, aër, apud Bartolum tantummodo sunt.

LVII. B.

In hac infelici codicis B pictura Ascanius cervum Silviae latinae ferit, quae fuit prima belli occasio, Aen. VII. 496. In caelo Phoebus et Diana, ille cum spiculo, haec cum lunatis cornibus. Omisit picturam Bartolus.

LVIII. A.

Cervus ab Ascanio vulneratus recipit se ad Silviam dominam, Tyrrhi pastoris regii filiam, Aen. VII. 500. Hinc orta agrestium contra Troianos seditio, Allecto cornu signum belli praecinente. Cadit ictus Almo maior natu filiorum Tyrrhi cum alio rustico v. 531, praetereaque Galesus dum pacem conciliare studet v. 535. Picturae amissae partem tacitus supplevit Bartolus, nulla apposita supplementi distinctione; aedificium ipsum nonnihil variavit.

LIX. A.

Iuno templum Iani reserat, belli videlicet coepti indicium, Aen. VII. 620. – Picturam mutilam tacitus sarsit Bartolus; campi, arborum, aërisque parerga adiunxit.

LX. A.

Aeneas Tiberi fluvio, qui se in somnis adlocutus fuerat, mane libat aquâ indidem petita, Aen. VIII. 69. Hinc eius oculis occurrit prodigium suis femellae cum multiplici prole, quam Aeneas Tiberi hostiam obtulit, v. 81. In dextra picturae parte cursus Tiberis. – Arbores more suo variavit Bartolus, campum collesque addidit.

LXI. B.

Iris Turnum adloquens, Aen. IX. 2. Radios pro nimbo capiti Deae circumdedit Bartolus, et reliqua elegantiora veris fecit. Laudabili tropo pictor arcum Iridis ex eiusdem peplo composuit.

LXII. A.

Turnus, subsequente agmine, classem troianam invadit, Aen. IX. 69. Navium prodigium, quae in nymphas convertuntur, v. 116. diffugientibus prae

stupore Rutulis. – Scuta ornavit pro suo libito Bartolus; attamen loricas duas nequaquam ut debuit squamatas fecit.

LXIII. A.

Rutuli nocturna obsidione troiana castra observant, IX. 159. – Bartolus radiatam lunam quasi propemodum solem effecit; loricis squamas non addidit.

LXIV. A.

Troianorum in castris deliberatio nocturna. Sedet Ascanius, adstante armatorum custodia, medius inter Euryalum ac Nisum, qui sibi periculosam profectionem ad Aeneam deposcunt, Alete collaudante, IX. 226. – Bartolus murorum septum penicillo suo complevit, sed loricas squamatas facere oblitus est.

LXV. A.

Troiani obsessi Rutulis strenue repugnant, IX. 530. – Bartolus caelum addidit, defensores troianos imminuit, loricarum squamas neglexit, alia quaedam variavit; et pro armato galeatoque Turno, senem nobis quendam inermem nudoque capite obtrusit.

LXVI. B.

Deorum consessus qui initio libri decimi a poëta narratur. Sedet Iupiter, adsidentibus Iunone et Minerva, cuius tamen loco pingenda Venus fuerat. Adstant Mercurius, aliusque senior incertus Deus.

LXVII. B.

Quaenam pugna in hac repraesentetur rudi tabella, haud ego facile definiverim, utrum nempe Aeneae cum Turno singulare certamen lib. XII, an pastorum Tyrrhi cum Ascanii comitibus proelium lib. VII, an aliud quodvis Martis opus. Neque eius in codice collocatio rem definit; etenim bibliopegus huius secundi codicis, seu B, alias aliò transtulit tabellas; Iridis quidem ad Turnum descensum perperam coniecit in primi libri calcem: Aeneam siculosque principes, qui ludis Anchisae feralibus praesident lib. V, retro egit ante tempestatis picturam lib. I: denique Neptunum cum fuscina, qui nonnisi lib. I. vel V. poni potuit, in decimo collocavit. Neque idcirco suspicetur quisquam picturas recentiores esse magnifica et speciosissima carminis scriptione; etenim reliquae eiusdem plane generis formaeque picturae intra ipsos poëmatis versus sunt conclusae, ut dixi in praefatione.

*Virgilii*

*Folium vaticanum codicis florent[illegible]*

AUTAGEMDUBITESINPROELIAPOSCERETURNUM
DIXITETAMPLEXUSNATICYTHEREAPETIUIT·
ARMASUBADUERSAPOSUITRADIANTIAQUERCU
ILLEDEAEDONISETTANTOLAETUSHONORE·
EXPLERINEQUITATQ·OCULOSPERSINGULAUOLUIT·
MIRATURQ·INTERQ·MANUSETBRACCHIAUERSAT·
TERRIBILEMCRISTISGALEAM·FLAMMASQ·UOMENTEM·
FATIFERUMQ·ENSEM·LORICAMEXAERERIGENTEM
SANGUINEAM·INGENTEMQUALISCUMCAERULANUBES
SOLISINARDESCITRADIISLONGAEQ·REFULGET
TUMLEUISOCREASELECTRO·AUROQ·RECOCTO
HASTAMQ·ETCLIPEINONINARRABILETEXTUM·
ILLICRESITALASROMANORUMQ·TRIUMPHOS·
HAUDUATUMIGNARUSUENTURIQ·INSCIUSAEUI
FECERATOMNIPOTENSILLICGENUSOMNEFUTURAE
STIRPISABASCANIO·PUGNATAQ·INORDINEBELLA
FECERATETUIRIDIFETAMMAUORTISINANTRO
PROCUBUISSELUPAM·GEMINOSHUICUBERACIRCUM
LUDEREPENDENTISPUEROSETLAMBEREMATREM
INPAUIDOSILLAMTERETICERUICEREFLEXAM·
MULCEREALTERNOS·ETCORPORAFINGERELINGUA
NECPROCULHINCROMAM·ETRAPTASSINEMORESABINAS
CONSESSUCAUEAEMAGNISCIRCENSIB·ACTIS·
ADDIDERAT·SUBITOQ·NOUUMCONSURGEREBELLUM·
ROMULIDISTAT(IO)Q·SENICURIBQ·SEUERIS
POSTIDEMINTERSEPOSITOCERTAMINEREGES
ARMATIIOUISANTEARAM·PATERAMQ·TENENTES
[illegible]ANTETCAESAIUNGEBANTFOEDERAPORCA
[illegible]ROCULINDECITAEME(T)TUMINDIUERSAQUADRIGAE

*[illegible] pag. 47*

QUATTUORHICPRIMUMNIGRANTISTERGAIUUENCOS
CONSTITUITFRONTIQUEINUERGITUINASACERDOS
ETSUMMASCARPENSMEDIAINTERCORNUASAETAS
IGNIB'INPONITSACRISLIBAMINAPRIMA
UOCEUOCANSHECATENCAELOQ'EREBOQ'POTENTEM
SUPPONUNTALIICULTROSTEPIDUMQ'CRUOREM
SUSCIPIUNTPATERISIPSEATRIUELLERISAGNAM
AENEASMATRIEUMENIDUMMAGNAEQ'SORORI
ENSEFERITSTERILEMQUETIBIPROSERPINAUACCAM
TUMSTYGIOREGINOCTURNASINCHOATARAS
ETSOLIDAIMPONITTAURORUMUISCERAFLAMMIS
PINGUESUPEROLEUMFUNDENSARDENTIB'EXTIS
ECCEAUTEMPRIMISUBLIMINASOLISETORTUS
SUBPEDIBUSMUGIRESOLUMETIUGACOEPTAMOUERI
SILUARUMUISAEQ'CANESULULAREPERUMBRAM
ADUENTANTEDEAPROCULOPROCULESTEPROFANI
CONCLAMATUATESTOTOQUEABSISTITELUCO
TUQUEINUADEUIAMUAGINAQUEERIPEFERRUM
NUNCANIMISOPUSAENEANUNCPECTOREFIRMO
TANTUMEFFATAFURENSANTROSEINMISITAPERTO
ILLEDUCEMHAUDTIMIDISUADENTEMPASSIBUSAEQUAT

INMENSASCTE AETHENSNUBES·IAMQ·ARBORESUMMA
CONFLUERE·ET·LENTISUVAM·DEMITTERE·RAMIS
HAECSUPER·ARVORUMCULTUPECORUMQUECANEBAT
ETSUPER·ARBORIBUSCAESARDUM·MAGNUSADALTU
FULMINATEUPHRATEN·BELLOVICTORQUOLENTIS
PERPOPULOSDATIURAVIAMQ·ADFECTATOLYMPO
ILLOVERGILIUM·ME·TEMPOREDULCISALEBAT
PARTHENOPESTUDIISFLORENTEM·IGNOBILISOTI
CARMINAQUILUSIPASTORUMAUDAXQ·IUVENTA
TITYRETECAECINIPATULAESUBTEGMINEFAGI

VERGILI MARONIS GEORGIC
LIBER·IIII EXPLIC FELICITER

*Ex duobus aliis codicibus vaticanis*

INFĀUMREGINAIUBESRENOUAREDOLOREM·

VERENOVOGELIDVSCANIS

*Ex codice vaticano 3226 pag 78. b*

NAMNEMOILLORVMQVISQVAMSCITOATTEVENIT

I



II.













III.



IV.



V.



VI.



VII.




VIII.



IX.



X.



XI.



XII.



XIII.




XIV.



XV.



XVI.



XVII.




XVIII.




XIX.




XX.




XXI.




XXII.



XXIII.



XXIV.



XXV.



XXVI.



XXVII.




XXVIII.




# XXIX.



XXX.



XXXI.



XXXII.




XXXIII.



XXX IIII.




XXXV.




XXXVI.



XXXVII.




XXXVIII.




XXXIX.




XL.



XLI.




# XLII.



XLIII.



# XLIV.




XLV.



XLVI.




## XLVII.



## XLVIII.




XLIX.




L.




LI.




LII.




L III.



LIV.



LV.



LVI.




LVII.




# LVIII.



LIX.



LX.




LXI.



# LXII.



LXIII.



LXIV.



LXV.




LXVI.



LXVII.






GETTY RESEARCH INSTITUTE
3 3125 01490 5331

